Diözese Passau / Salzburg,

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



filios exspectantes redemptorem corporis nostri Iesum Dominum
Illo tempore: Dixit Dominus: Estote misericordes sicut et pater vester celestis misericors est. Nolite iudicare et non iudicabimini. Nolite condempnare et non condempnabimini. Dimittite et dimittemini. Date et dabitur vobis. Mensuram bonam et confertam et coagitatam et super effluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur vobis. Dicebat autem et illis similitudinem. Numquid potest caecus caecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum perfectus autem omnis erit si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui. Trabem autem que in oculo tuo est non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo frater sine eiciam festucam de oculo tuo. Trabem non videns? hypocrita eice primum trabem de oculo tuo et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.
Omnes unanimes. Dominica V post Pentecoste. Petri apostoli
in oratione estote compacientes fraternitatis amatores misericordes modesti humiles non reddentes malum pro malo vel maledictum pro maledicto sed econtrario benedicentes quia in hoc vocati estis ut benedictionem hereditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere et videre dies cohibeat linguam suam a malo et labia eius ne loquantur dolum declinet a malo et faciat bonum inquirat pacem et sequatur eam quia oculi domini super iustos et aures eius in preces eorum. Vultus autem domini super facientes mala. Et quis est qui vobis nocebit si bonorum emulatores fueritis. Sed et si quid patiamini propter iustitiam beati. Timorem autem